



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Ferreolvs Mart. 18. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

legebat & explicabat puella, ut ipsissimam seculi illius Sibyllam Bernardus laudaret, & in concilio Rhemensi Eugenius PP. probaret. Cæterum visa celestia morbus comitabatur fere continuus, qui castigabat scilicet timidam, quoties proderet hominibus monita celo data negligeret; fuitque, cum lecto affixam ita undique oppugnarunt dolores, ut cedere anima & velle deditionem facere jam jam videretur. Sed præsidio Angeli venerunt è Primipili Michaëlis cohorte, qui atros Genios unaque morbos omnes in fugam egerunt. Dum porro vixit, mira egit innumera, lynceoque vultu ipsas cordis latebras inspexit, sensaque animi obtutu suo deprehendit. Funus illustravit iris gemina in celo visa, hanc lux coronabat lunæ circulum referens, quem itidem crux ornabat, multiplici mox incremento innumera. Id miraculum super defunctæ domum descendit. Et ascendere nos dubitamus tam familiariter invitati? *Ex Surro.*

S. FERREOLVS MART.

18. Septembris.

ANnum à Christi ortu tertium supra trecentimum victoriis suis nobilem fecit FERREOLVS, non tam militum quàm Martyrum antesignanus. Hostis, qui cum ei bellandum erat,

erat, atrox & versipellis Crispinus Pro-  
 col: fuit, ut qui modo insidias (blan-  
 ditias) admovit, modo aperto Marte  
 (tormentis) pugnavit. Vtraque vel elu-  
 sit prudenter vel vicit fortiter FER-  
 REOLVS. Et poterat facile pacem  
 cum hoste componere, si vel semel sa-  
 crificasset. Sed maluit suum sangui-  
 nem Christo, quam vel alienum Diis  
 improbis litare. Et jam tota agmina  
 carnificum vicerat, eum ferro oneratus  
 in carceres triumphans abijt. Inde  
 ruptis caelesti ope vinculis per sopitas  
 custodias & portas patentes ad Rhoda-  
 num evasit, quem cum Angelis suc-  
 collantibus transnataisset, retractus a  
 fugâ ultimam nobilissimamq; pugnam  
 edidit. Nam capite D. Iuliani Commi-  
 litis objecto, iussus est aut suam muta-  
 re, aut similem expectare sententiam.  
 Ille charum caput amplexatus mul-  
 tumque disnaviatus, sanguinem san-  
 guini, caput capiti, tumulumque tu-  
 mulo sociavit. Hunc ajunt multis post  
 annis D. Mamerti operâ adaptum,  
 FERREOLI & in manibus FER-  
 REOLI, Iuliani caput, utrumque in-  
 tegrum ostendisse. Exemplo vel Graciâ  
 Iudice supra omnes Pylades & Orestes  
 amico. Ex Sur. & Per. de Natal.

Kk 4

S. IA-